



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Canon VII. Quod non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

his secundum auctoritatem & admonitionem Sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, sequentes Canones, ad proscribendos Semipelagianorum errores, & veritatem Catholicam confirmandam, condiderunt.

CANON I.

De gratia & libero arbitrio.

55. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illasæ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti (Ezech. 18.) *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et (Rom. 6.) *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis?* Et (2. Petri 2.) *A quo quis superatur, ejus & servus ad dicitur.*

CANON II.

Quod prævaricatio Adæ omnes infecerit.

56. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis (quæ pœna peccati est, non autem & peccatum quod mors est animæ,) per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti (Rom. 5.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

CANON III.

De gratia Dei.

57. Si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ (cap. 65.) vel Apostolo idem dicenti (Rom. 10.) *Inventus sum à non querentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant.*

CANON IV.

De purgatione peccati.

58. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confiteatur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti (Proverb. 8.) *Præparatur voluntas à Domino:* & Apostolo salubriter prædicanti (Philipp. 2.) *Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

CANON V.

Quod ad fidem & regenerationem baptismatis per gratia donum perveniamus.

Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente (Philip. 8.) *Confidimus quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* Et illud (ibidem) *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et [Ephes. 2.] *Gratiâ salvi facti estis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui enim fidem quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

CANON VI.

Quod gratiâ Dei sumus id quod sumus.

Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adiutorium, nec ut obediens & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti (1. Cor. 4.) *Quid habes quod non accepisti?* Et (ibidem cap. 15.) *Gratiâ Dei sum id quod sum.*

CANON VII.

Quod non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritui, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. 15.) *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli (2. Cor. 3.) *Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

CANON VIII.

Nemo per semetipsum salutis æternæ mysterium potest conquirere.

Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad Gratiâ baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita lasum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Quod